HISTORIA MORBI.



HISTORIA MORBI

EMINENTISS. CARDINALIS

CAROLI COLUMNÆ



Cum brevi Scholio

JANUARII JANNELLII

Archiatri Romani,


ET ABSOLUTISSIMIS ADNOTATIONIBUS

JO. MARIÆ LANCISII



Intimi Cubicularii, & Archiatri Pontificii.







ROMÆ,
Apud FRANCISCUM GONZAGA MDCCXIX.
Superiorum permissu.

FABRICIO
MAGNO COMESTABULO
COLUMNÆ.

JANUARIUS JANNELLIUS S. P. D.



Istoriam Morbi, quo proximè superiori mense confli-

cta-

ctatus fuit amplissimus Cardinalis Carolus Patruus tuus, una cum methodo eum curandi, & sanandi à me jam exaratam, dum adhuc curationi apud Te in tuo Marini Oppido vacarem, nulli quidem potius quam Tibi, Magne Comestabule, offerre debeo; nec eo tantùm quod scilicet per media discrimina, in quibus versari Patruum tuum solicitus, prudensq; dolebas, non semel impalluisti, aut quod Tibi maximè de Tuo demum restituto Cardinali, Urbs tota Roma ex animo, intimiorique ex sinu gratulata fuit, & gratu-

tulatur ; ſed eo verè, & potiſsimum, quòd in ipſo Morbo à me tanquam in quadam Tabula deſcripto, cum heroicam facilè recoles ſedulitatem, qua MATER TUA PIENTISSIMA opem periclitanti CARDINALI noctu, diuque præſtitit, nullum dubium inde erit, quin ex hac egregia circumſtantia in tuam SPECTATISSIMAM GENITRICEM gratiſsimus, hiſtoriam hanc meã mirè excipias, & complectaris: ſiquidem in hac ſola, unico, & primo obtutu, perſpicies, miraberis, & penitus commendabis, quæ jam per partes, & ſeorſim

fue-

fuerant à Te perſpecta, & commendata: Morbum nempè in primis: ejusque feritatem, CARDINALIS inde Tui conſtantiam: Atque demum MATRIS TUÆ animum excelſum, atque fortiſsimum, PATRUI, DOMUSQUE TUÆ Servatorem; Quamobrem cur hanc, quam elucubravi Hiſtoriam, Tibi prorſus debeam, & devoveam, Tu planè non ſolùm videris, & jam tenes, ſed jure, meritoque probabis. Huc proindè accedit, quod ut id operis meum, quantumvis tenue, & levidenſe, minus deſpectum, minusque AMPLITUDINE TUA fieret in-

indignum, de industria ornari curavi perquam utili, & eleganti Commentario Viri doctissimi Lancisii Medicorum Urbis primarii, atque Archiatri à secretis Pontificis nostri Maximi, Optimique, qui mihi gratificando, & Tibi, Tuisque prospiciendo, solidas, atque doctas adnotationes adjecit. Quo perindè factum est, ut hoc nomine tantùm elucubratio mea neutiquam dejecta jaceret, sed ferè superbiens ad Te, Dignitati Tuę non propemodum impar, accederet. Hisce igitur ex causis excitatus hanc qualem-

cumq; meam Opellam Tibi deferre, dicare, & penè reddere volui, & debui, atque obnixè defero, dico, & reddo; iisdem Tu quoque permotus, eandem ita precor accipias, ut voluntatem erga me Tuam, tot, tantisque officiis tuis, Tuorumque omnium in me probatam, magis, atq; magis ſentiam, quod erit mihi omnium jucundiſsimum. Vale.

Ex Ædibus Falconeriis VI. *Kal. Auguſti* MDCCXIX.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

T. Epiſcopus Heracliæ Vicesgerens.



DI ordine del Reverendiſſimo Padre Maeſtro del Sacro Palazzo Apoſtolico ho riveduta la ſudetta Hiſtoria dell'infermità dell'Eminentiſſimo Cardinal Colonna, e non vi ho trovata coſa, che ſia di pregiudicio alla noſtra Fede, overo a'buoni coſtumi, ma ſentimenti di dottrina utiliſſima. Roma 20. Agoſto 1719.

Giacomo Sinibaldi.



IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri.

JOSEPH JULIUS LECTORI.

CUm Princeps Eminentissimus Carolus Cardinalis Columna non ita pridem in amœno, præclaroque Mareni Oppido, ejus ditionis, perquam graviter ægrotaſset, ac inde diligenti curatione adhibita integrè convaluiſset, Januarius Jannellius Celeb. in Urbe Archiater, qui tum eo temporis cum doctiſsimo Antonello ſimul, Dominicoque Bianciardo, ac una mecum in ampliſsima Columnensium Domo ordinario Medico, Cardinali medebatur, ſingula, quæ in diem, imo in horas eveniebant ad Morbum ſpectantia, quæque pro curatione peragebantur, ſedulò notabat, & tanquam in acta regerebat; atque in id eo potiſſimum incumbebat, ut hac ratione

tione servata, accuratiùs, quam fieri poterat, Pontifici ipsi Clementissimo usquequaque obtemperaret, qui quæcumque ex Morbo obtigissent, & ex usu remediorum quotidiano pervenissent, jussit, ut in dies magis, magisque sibi mox, & exquisitè significarentur, curante id Alexandro Albano ejus meritissimo Nepote. Quo demum factum fuit, ut quæ tantùm in adversariis diurnis rejecta prope manerent, selecta hinc, & in unum coacta, hanc, quam historiam concinnavit idem Clariss. Jannellius, commodè efformassent, accuratam primo quidem, & perspicuam: notabilem inde pro ægritudinis sævitie citius, quam credebatur, edomita: ac tandem spectatissimam Summi Pontificis jussu, ex quo licet remotè, directè tamen, & veluti ex proprio fonte emanavit. Ad quam proindè quædam accessere ejusdem Historici adnotationes,

nes, breves sanè, sed non parum facientes ad ideam Morbi penitius intelligendam, ejusdemque symptomata ritè explicanda, & curationis scopos jam collimatos, ulterius perspiciendas; Accessit (& quod omnem implevit paginam) Commentarium nempe, solidissimè elaboratum, & huic adjectum à celeberrimo, Illustrissimoque Viro LANCISIO *Archiatro à secretis Beatissimi nostri Pontificis* CLEMENTIS XI. *quo dici planè nequit quam Morbi præfata enarratio magis, atque magis ornaretur, & utilis fieret; Quapropter cum utraque Scripta collegissem, ut sic contracta, & in unum collata, omni exindè numero absoluta viderentur, quandoquidem in iisdem habemus & Historiam Morbi, & Ætiologiam, & Prognosim, Textuumq; Hippocratis allatorum dilucidam, & germanam expositionem ad eandem affectionem pe-*

ni-

nitùs dignoſcendam, judicandam, & curandam, ea idcirco ut quamprimum Typis mandarentur, curavi. Quod proindè ſedulò perfeci, & an è re, & ex uſu Tu legendo Judex eſto. Quamvis potiſſima ea ratione commendatum iri à Te ſpero, meum hæc qualiacumque ſint, edendi, & promulgandi ſtudium, ne ſcilicet Virorum tam Illuſtrium beneſacta laterent. Vale.

HISTORIA MORBI
CARDINALIS
COLUMNÆ.


Minentiſs. Cardinalis CAROLUS COLUMNA annos natus 54. Partium decenti ſtructura ſolidè elegans, Morumque ſuavitate Urbi prope mirabilis, cum ut plurimum circa Oris intimiores glandulas, fluxionibus, uti dicunt, catarrhalibus detineri, & viſcida quædam recrementa lymphica, concretaque mane ſtatim, ac expergiſceretur, ex miti Tuſſi expuere ſoleret, quolibet anno circa Vernum tempus, ſive Autumnale aſſumebat leves aliquot *Tincturas* ex rhabarbaro in aqua endiviæ, aut cichoreæ,

ac deinceps per duodecim,& ultra dies decoctum ex radice Chinæ, Salſæ parillæ, & limatura Eboris paratum, ut glutina illa aliorſum diſtracta faciliùs diffringerentur, & exularent; eoque magis, quo Vir ampliſſimus cibis craſſioribus paulò indulgentior, tum de diſtenſione ſtomachi, tum ſæpe ſæpius de pondere, & preſſione ad Ventriculum conquereretur.

Verùm,neſcio quo caſu, his,aliisve ſimilibus tam anno proximè elapſo, quàm nunc jam excurrente, prætermiſſis; concretiones illæ catarrhales amplius aggeratæ fuerint, & Sanguinem ex compactiori chylo magis,atq; magis coactum, non ritè debitis purificationibus auſcultaſſe probabiliſſimum eſt; quandoquidem ex præfato rhabarbari uſu, & quandoque olei amygdal. dulc. mirè alvus ab lentis, viſcidisque humoribus tergebatur, itaut incolumitas exinde

inde emergere undequaque,meritoque videretur.

Nuper Pluviis in medio Junio vigentibus, ac proinde intemperie aeris ad frigus udum vergente, cum eidem aeri frigeſcenti ſe præberet ab Urbe Marinum petens, domi horis pomeridianis (diei ſcilicet 22. Junii 1719.) *tali, ac tanto frigore per totum corpus offundi ſenſit*, ut de igne, & lecto ſtatim cogitaret; quibus nullatenus *per horas quatuor nunquam calefieri potuit*, quoad *calor febrilis ſenſim uſquequaque gliſcens, in eum elatus fuit æſtum*, ut poſtquam Vir Eminentiſſimus *quædam evomuiſſet, delirè plurima Familiaribus juſſit*, & *multa perperam tanquam ſomnians protulit*; hinc noctem duxit *inſomnem*, *& moleſtiſſimam*.

Mane verò *dolor* accedit *acerbiſſimus* ſub *mamma dextera* cum *tuſſi*,

& quodam *ſputo cruento*, *ſiti*, *febrique adaucta*; Medicus eapropter Venam brachii juxta latus affectum ſecandam eſſe jubet, ac Clyſma eo ipſo injiciendum præſcribit. Quo excepto tamen, cum venter ad egeſtionem ſolicitaretur, & actu egereret, *animo æger penitus deficit*, *facies fit emortualis*, *oculorumque pupillæ ad baſim uſque retorquentur*, atque hoc ſymptomate ſupervento, & perdurante perculſi adſtantes ſpem omnem penè dejiciebant, aut omnia plena diſcriminis, ac timoris inſpiciebant, & dimetiebantur, quouſque Generoſiſſimus Ægrotus ad ſe rediens, plenè animum opitulantium erexit, & reſtituit.

In hoc rerum anfractu, & turba, Medicus diſtulit venæ-ſectionem, atque hanc ad meridiem uſurpavit, ſanguine ad unc. v. extracto, qua dolor parum ceſſiſſe dicitur, & pectus majori liber-

libertate donatum, faciliùs munere, cui ex natura incumbit, aerem hauriendi, & explodendi, fungi ipſimet Ægro viſum fuiſſe, perhibetur. Doctiſſimus Antonellus interim, & ego accerſiti, maximèque in ipſo principio ſecundæ diei hujuſce morbi, hæc, quæ ſequuntur ſedulò obſervavimus, unà cum induſtrio tum Ægrotantis Medico.

I. *Tuſsim profundam, raram, & moleſtam.*

II. *Dolorem in mamma dextera acerbum ex tuſsi, fixum aliàs, & pungentem.*

III. *Sputa perpauca variegata, livida, ſcilicet flavo-obſcura, & ſubviridia.*

IV. *Nullam quidem, ut videbatur, ſpiraudi difficultatem.*

V. *Sed rheuma in pectore perſtrepens, & ferè ſibilans.*

VI.

VI. *Urinam confuſam, & propè ſubjugalem.*

VII. *Sudorem, aut ſudatiunculas in ipſa febris acceſsione; hac etenim tum laceſsiri Virum ampliſsimum comperimus.*

VIII. *Dolorem in mamma maximè exacerbari, ſi ad latus affectum Æger procumberet, ſin minus, è contra.*

IX. *Et pulſuum notabilem varietatem: nunc enim parvos, nunc magnos, nunc molles, nunc duriuſculos, nunc magis, minusve celeres in id temporis paucis fermè momentis notavimus.*

Ex quibus indiciis ſeriò, & accuratè animadverſis mirabundi, & perterriti *Morbum* pronunciavimus *Pleuritidem* quidem eſſe, ſed *jure ſuo portentoſam, inſolitam, & verè malignam* ſaltim ex inæqualitate, & improprietate ſymptomatum, quæ eam comi-

mitabantur, ac propterea *ominoſam*, & *difficillimè domabilem*.

Nihilominus perſpectis in progreſſu febris arteriis rigidè micantibus ex *pulſuum magnitudine*, & *evidenti duricie*, itidemque notatis *doloris in mamma ſævitie*, & *tuſſi ſicca*, & urinarum ſaturitate, *minorique, quam deceret, copia*, ſicut & *reſpiratione paulò crebriori*, audacter in augmenti febris fine, venam ſecuimus brachii è regione Partis affectæ, & Sanguinem miſimus ad unc. IX. Quo factum fuit, ut dolor aliquantiſper miteſceret, lotiaque effluerent paulò adaucta, & dilutiora. Præſcripſimus quoque Ecleg. ex ſangu. hircino, ſperm. cet. ol. amygd. dulc. & julep. viol. conflatum in binas quaſque horas cochleatim aſſumendum, atque oleum ſolum amygd. dulc. præbuimus ex intervallo eodem lambendum; verùm hiſce ſic ritè peractis, ſi quod

ſpu-

ſputum apparuit poſt *tuſſim*, & *perpaucum* fuit, & *lividum*, & *flavo-atrum*, penitusque *improbum*.

Mane igitur (quòd erat finis ſecundæ diei hujus morbi) *pulſus intercurrunt, ac aliquando intermittunt*, & febris *intenſiùs* adurit. Propinatur oleum amygd. dulc. rec. ad unc. I V. & (mirum dictu) vix præterit hora, ex quo oleum epotum fuerit, quod pulſus iidem evidentiſſimè defervent, & ad meliorem rhythmum retrahuntur.

Tertiò, poſt medium diem *redit febris prævio levi rigore, & circa extrema miti quodam algore*. Sputa excreantur pauca, nigricantia, aut flavo-cinericia; *ſilet penitus dolor in mamma*; urinæ craſſæ, & diminutæ; *ſudatiunculæ* ad principium, & augmentum *febris*; *pulſus varii*; propenſio ſumma ad *ſomnum*; *linguæ ſiccitas*. Hinc coxæ, & brachia veſicantibus inurun-

uruntur. Ab oleo exhausto nihil alvo emota præscribitur clyster, qui ineptia siphunculi non ritè intra rectum intruditur. Tum septem post horis à recursu febris (nempe inter quartam, & quintam noctis horam) assumitur, sed malis avibus, aqua scorzoneræ, in qua infusus fuerit lapis histricis, quoniam *pulsus* tum prodeunt *celerrimi*, *inæqualissimi*, *& parvi*, *anxietas*, *& jactatio Ægri incredibilis*.

Quartò, scilicet sequiori mane, *anacatharsis fermè nulla*, vel si quicquam *sputi* rejectum fuerit, crassum illud erat, atro-flavescens, & aliquo modo putridum: *urinarum* rubor, & parcitas. Iterum oleum amygd. dulc. ad unc. IV. ebibitur cum aliquot granis salis tartari juxta præscriptionem eximii Viri Lancisii, qui jussu beneficentissimo Pontificis, & validis officiis Præsulis in Urbe Principis Alexandri

Albani multa doctè rescripsit ad Morbum, quem enarramus.

Ast tertiam post horam, vel quartam, quam propinatum fuerat oleum, efferre prope nescio quam *anxius*, & *jactabundus* Spiritum trahere cogebatur Ægrotus, *quot*, *quantisque interlabentibus suspiriis* reserare præcordia. Pulsuum tunc quaquaversum ametria, *facies decolor*, *oculique demissi*, *omnia in pejus*; quoad oleum post bina juscula insulsa exhibita primam sedem ciere cœpit, quod nonnisi post longam moram effectum est, & quæ deturbatæ fuerunt fœces, tantùm aluinæ erant, & parcæ, bile, ut dicunt, conspersæ.

Attamen quinta post meridiem hora regreditur febris, *levi præcedente rigore*, nulloque penitus solito signo in pulsibus id commonstrante, præter tum concitatiorem eorumdem frequentiam. Concomitantur *somnolentia*,

tia, & *ſudor* circa collum, ac caput in ipſo principio, & augmento *febris*; item *lingua alba, & arida*. Poſthac iterum venter exoneratur, imo & tertio inter cœnandum iisdem excrementis, ut ſupra, ſed perpaucis. *Urinæ* interim craſſæ.

Quintò, partes veſicatoriis inuſtæ, optimæ. Exhibetur juſculum cum aliquot guttulis *Elixiris proprietat.* Helmont. clyſtere tamen prius immiſſo, ex quo viſcoſæ ſubducuntur fœces. Exinde varia irritamenta ad egerendum, & nihil, aut parum deturbatur. Vir Eminentiſſimus largius ebibit nunc aquam Nuceriæ, nunc jura, in quibus ebullierit *limatura* C. C. ſemperque modico addito julepi perlati. Hora vigeſima febris acceſſio abſque manifeſtis indiciis. Illinitur latus primum affectum *oleo* Matthioli pro *unguento de althea*, quo jam bis in die in-

ungebatur. *Urinæ* minus rutilantes; *sputa* verò simillima primis. *Pulsus intermittentes*; *lingua aridula*. Ad intempestam noctem dejiciuntur quidem *biliosa*, sed *compacta*, & quæ in *ipso dejectu* perquam *torserunt*, & *cruciarunt* intestina. Totaque ferè hac die *difficultas spirandi à quolibet motu*, maximèque *inter bibendum*. *Venter tumet, & tenditur*.

Sextò, mane potandum damus *oleum lini* ad unc. iiij. scilicet, hac tamen extantissima cautione servata, ut una, & altera hora ante præfati *olei* usum jusculo dilueremus, uti peregimus, recrementa ventriculi acida, vel alia id generis, utpote quibus *amygdalarum dulcium oleum* jam antecessis diebus epotum in offam fortasse, vel smegma quoddam verosimillimè redactum fuisse putavimus, atque hac de causa prolixas in eodem ventriculo, &

mo-

molestissimas duxisse moras. Quapropter paulopost ab hausto *oleo sudor* accedit *copiosus*, ab universo penè corpore profluens per tres horas; & postmodum *bilis prodit* ex alvo ad *binas heminas flavissima*, & *putidissima*. Strenuè tum Æger ebibit aquam, & juscula, uti magis allubuit. Iterumque, vix horæ quadrante præterlapso, altera habetur *dejectio* ejusdem quidem humoris tàm quoad quantitatem, quàm quoad qualitatem. Hora quinta pomeridiana novus fervor febris, ac septima (hora scilicet 23. juxta horologium Italicum) *bilis tertia excretio*, magis tamen saturæ, & spissescentis. Circa noctis crepundia *mira pulsuum inæqualitas*: *sputa* fluidiora, *Lotia* magis diaphana. Clystere abluitur tantùm alvus utilissimè. Nocte verò sequenti *anxietates*, & *spiritus difficultas*.

Septimò, decocta præcipiuntur ex

lapi-

lapide bezaàr, *ſanguine hircino*, *&* C. C. conflata in jure vitulino perbibenda tertia quoque hora, quæ adhuc hoc ſervato ordine, libentiſſimè accipiuntur; hinc *urinarum* ubertas. *Sputa* magis, atque magis ſoluta, & excreatu facilia, minusque flavedine fœda; *Palpitatio* nullatenus obvenit *Cordis*; reditque data hora febris. *Somnolentia* verùm nulla: *Lingua* humida. In *febris* augmento ventris dejectio crocea, & denſa. Nocte exinde ingruente meliùs ſe habuit Æger; quamvis bile ſtimulante acriter alvum, hæc ad ſeptimam noctis horam leviter ſolvitur, *Abdomen* adhuc *turgidum*, *&* *tenſum*.

Octavò, longè poſt juſculum mane epotum ex *lapid. bezaàr*, *ſang. hircin.* *&* C. C. juxta jam à nobis decretum, & indictum tempus, præbetur ebibendum *oleum lini* ad unc. j. & ſtatim, ac horæ ſpacium emenſum fuerit, ſudor

unde-

undequaque diffluit. Supervenit tum *ventriculi* quædam confusio, & *pulsuum* perturbatio; hinc valida ventris solutio, qua mirum est quam eruginosi, putidique humores eruperunt,& quam brevi iterum subducti fuerunt alii ejusdem prope generis. Propterea febris levissima regreditur. Excreatio expeditior. Sputa magis congrua. Urinæ laudabiles; & sexta noctis hora *copiosa alui egestio*.

Nonò, *expectoratio* larga, & liberior. *Pulsus* æqualissimi. *Sudor* affluens hora post cibum. Alui *dejectio* biliosa, & parum serosa. Vix tempore solito febris accessisse videtur. Noctu *tussis* mitissima, & *rheumatis* è pectore exclusio plena.

Decimò, *sputa* alba, & concocta. In *Urinis hypostasis* optima. *Spiritus* facilitas. Ex injecto clystere fœcum eductio. EMINENTISSIMUS CARDINALIS

sine

ſine febri penitus, & ſoſpes: Laus DEO, Gloria pientiſſimo, maximoque PRINCIPI, Gaudium COLUMNENSIUM Domui generoſiſſimæ, Honor Medicis.

SCHOLIUM.

ID penſi Eloquentiſſimo Lanciſio abſolvendum merito relinquimus; attamen ſi occupationibus, uti ut plurimum ſolet, variis, & graviſſimis diſtentus in hoc fortaſſe incumbere nequeat, nos id nobis arripiemus conficiendum. Interim hæc ſedulò teneamus:

I. MORBUM, ſcilicet, quo Vir Spectabiliſſimus detentus fuit, PLEURITICAM fuiſſe, ſive PULMONICAM, ut magis appellare lubet, FEBRIM, MALIGNAM, ac veluti EPIDEMICAM, eoque potiſſimum, quo multi id temporis ex aëris intemperie MORBO hujuſmodi fuere tam immani, & doloſo correpti, ut *plures demum jam fato ceſſerint*. Quod maximè teſtatus fuerat Vir in re Medica Conſummatiſſimus Dominicus Gagliardus cum in ingreſſu QUARTI hujus Febris viſiſſet Ægrum Nobiliſſimum; ac proinde ex *pulſibus* tam *abſurdis*, *dolore*

lore præter rationem *ablato*, & *sputis iniquis*, sapientissimè ab tali morbo *timuit* Cardinali ejus Domino, & meo Clementissimo, quod magis *timeri* poterat, laudavitque eapropter dissolventia quamplurima alexipharmaca, & præ primis oleum Matthioli tam internè, quàm externè usurpandum.

II. Simillimumque eundem hunc *Morbum* FEBRI item PULMONICÆ, MALIGNÆ, & veluti EPIDEMICÆ, qua Clarissimus Zecchius, Virum quendam Illustrissimum prehensum fuisse, narrat in *Consultatione ultima* ejus aurei *libri Consultationum Medicinalium*, itaut nihil similius, (quod ad extantiora spectat) inspici quippe queat. Legant, quæso, qui velint, & nihil amplius distare inter sese notabunt, quam quod *Cardinalis noster à tam diro Morbo evaserit*, cum *Aegrotus Zecchii undecima perieret*.

III. Hanc tamen PLEURITICAM FEBRIM ortum *materialiter* duxisse, tam ab iis, quæ *extra sunt*, quàm ab iis, quæ *intra inutilia*, ut cum Magno Sene loquar, & ut ex casu enarrato patet.

IV. *Formaliter* verò ex CONCITATO RHEUMATE, quod per ὁρμώμενον scientissimè explicat Duretus in *Coacis*, licèt latinissimus is aliàs, nimis hic græcizet; cùm cæterum hujusmodi CONCITATUM RHEUMA necessariò supponat ferita-

tem, & orgaſmum humoris, quod in Ægrotante Nobiliſſimo ferè apertè eſt obſervatum.

V. Nos verò Recentiores, ut noſtra quoque *Dialecto* appoſitè hoc in loco utamur, id totum evolveremus per SECRETIONES, & EXCRETIONES Sanguinis vel depravatas, vel præpeditas, nempe in Hepate, aliisve innumeris prope glandulis corpus humanum integrantibus, itaut Sanguis non purificatus (*exempli gratia*) in eodem Hepate, ſic poſtmodum fœdus, & craſſus, & aura maligna imbutus, ad Pulmones translatus, ea, quæ in jecinore non ſecrevit, inverſo, & improbo ordine ſegregavit in ipſis Pulmonibus, & hoc modo enata fuit PLEURITIS, ſive PULMONIA per AFFLUXUM, ut vulgò dicitur.

VI. An proinde hic AFFLUXUS valuit in APOSTASIM commutari per *animi notabilem defectum* Cardinali ſubreptum ex *clyſtere immiſſo*, videat, & decernat Medicorum Princeps Lanciſius.

VII. Liquet hinc nihilominus dilucidè: cur DOLOR TERTIA DIE temerè EVANUIT, & cur SERVATUS ſit ÆGER, hoc potiſſimum EXISTENTE SIGNO; cùm ceterùm experientia planè doceamur *Pleuriticos* hoc indicio diſtinctos, *ſeptimo* ut plurimum ingraveſcere, & *occumbere*; ſive ut in primo *prædictorum* notabiliſſimè me-

mo-

moravit Hyppocrates ex *verſione* Foëſii : LATERIS DOLOR CUM BILIOSIS SPUTIS PRÆTER RATIONEM EVANESCENS; ÆGROS IN VEHEMENTEM, ET FURIOSAM MENTIS EMOTIONEM AGIT.

VIII. Eluceſcit quoque: cur nos in eo conſtantiſſimi fuimus, prælucente etiam Lanciſio, ut ad alvum omnino movendam, & purgandam, conatus omnis noſter dirigeretur, & inſiſteret, quoad oleo lini validè eadem excitata, excretiones plurimæ bilioſæ, & putridæ obvenerint, & CARDINALEM RESTITUERINT.

IX. Imo cur aquæ, & juſcula copiosè epota ſummè conduxerint, ſicut etiam mitiora alexipharmaca, atque maximè veſicantia.


X. Quandoquidem morbus, quo graviſſimè correptus fuit COLUMNENSIS HEROS, ſi unquam novo, & inſolito nomine indigitandus meritò foret, proculdubio nominandus eſſet ICTERUS PULMONUM MALIGNUS, ATER, VIRIDIS, FLAVUS, quomodocunque magis quiſque velit, atque hac ſola novitate nominis, ni fallor, congrua, facillimè in propatulo ducentur SPUTA LIVIDA FLAVA, tamque VARIEGATA, Urinarum RUBOR, CRASSITIES, & interdum veluti ICTERICORUM, & ventris tanta ſtipticitas, ut oleum amygd. dulc. bis, & ubertim aſſumpto, vel nihil, vel parum ceſſiſſe videretur.

 XI. Alia

XI. Alia insuper si opus fuerit circa *Pulsuum iniquitates* annotare, & effari, annotabimus quoque sanè, & effabimur; sed ad hæc unus pro omnibus sufficiat, Experientissimus Lancisius.

XII. Verum silentio prætereundum non est, quod cùm per literas nobis significavit eruditus, & studiosissimus Medicus Joseph Julius, qui tum ad reliqua Morbi edomanda una cum Viro docto Dominico Bianciardo attentissimè incumbebat, Cardinalem nempe quotidiè solvi binis, aut ternis sedibus biliosis, parcis quidem, sed mitissimè torminalibus, sine etiam minima febre, ac inde tam XIII. quàm XIV. die Morbi, sputa rursus rejecta fuisse bile infarcta; propterea operi colophonem addere putabat, si leni quodam cathartico, XV. alvum demum ipsam abstergendam esse contenderet. Quod cum rectè deductam, animadversum, & scitum esse visum fuerit tum omnium optimo Lancisio, tum Artis Medicæ Consultissimo Antonello, & mihi, rescripsimus ad oculatissimum ipsum Julium, ut quamprimum, scilicet die eadem XV. propinaret Eminentissimo Cardinali decoctum cichoreæ, in quo dissolutum fuerit manna ad sesquiunciam, & grana aliquot Salis Tartari; atque eo sic peracto, ritè purgatus fuit amplissimus Cardinalis, itaut deinceps quòd per tussim expectoraret purus putus catarrhus esset ali-

aliquo modo concoctus, semperque candidus. Attamen hinc ferè per totam, quæ consequuta fuit, hebdo madam, Ventrem bis, terve in die exoneravit fœcibus iisdem biliosis, ac compactioribus, prævioque tormine; quoad Romæ redux, & de alvi fluxu, & dolore conquestus (quod fuit 22. morbi) cum pauci id nos meritò fecerimus, imo è contra cum id argumento verterimus, Cardinalem optimè in jure Medico judicari, & valetudine confirmari, sequioribus hinc diebus querelas Ventris evanuisse sensit, ac idcirco benè se habere omnino fassus fuit, & nunc ultro fatetur.



ARGUMENTUM.

Laudat methodum observandi Ægros diligenter, eorumque historias scribendi. Enodat phænomena, quæ in sævo Morbo Eminentissimi Domini Cardinalis Columnæ *acciderunt, & I. Cur respiratio sub initium ejus pleuritidis læsa non fuerit. II. Cur morbus desiverit per alvum. III. Cur pulsus intermittens ab admotis vesicantibus, atque ab exhibito oleo minus plerunque timendus sit. Exemplo assertum comprobat. IV. Unde post lini oleum circa finem morbi genarum rubor, & difficilis anhelitus. Conciliat Hippocratis sententias de Peripneumonia pleuritidi superveniente. Solvit dubium, sinistra ne, an dextra pleuritis gravior sit. Gratulatur de recupe-*

perata Eminentissimi Principis valetudine. Commendat lenem purgationem in dextra præsertim pleuritide cum cacochymia.



Cla-

Clarissimo, Doctissimoque Viro

DOMINO DOCTORI

JANUARIO JANNELLO

ARCHIATRO ROMANO.

JO: MARIA LANCISIUS S. P. D.



Um in omni quidem disciplina, quæ in naturæ cognitione, atque imitatione versatur, nihil præclarius sit, quàm diuturnis observationibus dare operam; hâc enim viâ non ex hominum commentis, quæ dies de-

let, ſed ex ipſius naturæ ſinu æternum duratura veritas depromitur; tum maximè in Medicina, præſtantiſſimâ ejus parte, experimentis diligenter vacare non modò iisdem Medicis honorificum, verùm ægrotis etiam, univerſæq; Reipublicæ proficuum jure ac merito exiſtimatur: quo factum cernimus, ut inter innumeros, qui ab heroicis uſque temporibus Medicinam ſcriptis excoluerunt, ſolus Hippocrates per tot, tantasque & rerum, & temporum, & opinionum viciſſitudines, tanquam è naufragio tutus, integerque emerſerit, nullo famæ diſpendio; quinimo eò in dies clarior, quò magis bonæ artes augentur, illuſtranturque. Tibi idcirco vehementer gratulor, eruditiſſime Jannelle, quòd divini, ut ajunt, Senis veſtigia premens tutiſſimum, & quaſi regium hoc iter in factitanda Medicinâ perpetuò tenueris. Eximiæ autem hu-

jus

jus methodi nobile præ cæteris specimen mihi præbes in accurata historia malignæ peripneumoniæ, quæ Amplissimum Cardinalem Columnam superioribus diebus in vitæ discrimen adduxit; quem quidem morbum Clinici ferè omnes rarissimum quoque judicarent; non quòd hoc mali genus raró contingat, sed quòd Ægri ex eodem quàm rarissimè medicâ ope soleant vindicari: oritur enim ex multiplici apparatu vitiosorum succorum cùm in hypochondriis, tùm in vasis, glandulisque penè omnibus redundantium, qui & particularem thoracis, hypochondriorumque, & universalem totius Corporis Morbum, nempè febrim, quam essentialem appellant, producunt.

Quoniam verò Historici partes adeò diligenter, Vir doctissime, exequutus es, ut ægrotationis naturam sapientissimis animadversionibus per sua

D 2 quæ-

quæque signa, ac symptomata explicaveris, curationemque ritè, ac feliciter institueris, pauca duntaxat investiganda mihi relicta fuisse video.

Primum porrò illud annotatione dignum, vel Tibi rem hanc sedulò, diligenterque retractanti videbitur, quî scilicet fieri potuerit, ut, *cùm Eminentissimus Princeps tam diro pectoris malo divexaretur, nullâ tamen spirandi difficultate laboraret*. An forsitan id evenit, quòd malignus ichor sensiles utique thoracis partes, seu musculares illas membranas lacesseret, ac fodicaret, quæ ad respirationem ejus, qui decumbit, non sunt omnino necessariæ, cujusmodi se habent subcutaneæ, aut externorum musculorum? Unde dolor quidem ad tactum, fortè etiam non levis, sed nullus gravis anhelitus oriebatur. An quia morbificus humor pulmones non anticâ, sed posticâ parte,

te, ſcilicet quâ dorſum reſpiciunt , afficeret ; ubi quidem iidem pulmones apud eos, qui decumbunt , propè nihil moveri ſolent ? Et quanquam noxius humor in tracheas irrumperet , rheumaque ſatis perſtrepens, ac ſibilans produceret, tamen intercartilagineos illarum muſculos , ipſumque adeò diaphragma minimè læderet . Atque hinc futurum fuiſſe quis poſſet ſuſpicari , ut, ſi Ampliſſimus Cardinalis opus habuiſſet majori reſpiratione , quâ in vehementi vociferatione, aut tuſſi, vel in adaucta nimium voluntaria inſpiratione, vel tandem in corporis aſcenſu egemus , tunc quidem præpeditam poſticarum veſicularum , & trachearum libertatem minimo negotio percepiſſet.

Deinde quòd *morbus facillimè deferbuerit dejectâ potiſſimùm per alvum causâ*, aliquibus fortè minus in Arte peritis negotium faceſſet , non tamen

Tibi,

Tibi, cui non latet dextras pleuritides sæpè sæpiùs cum hepatitide conjungi, præsertim cum verna consueta alioquin purgatio (perquam hypochondria, atque adeò hepar ipsum ab infarctu vindicantur) omissa fuerit, ventrisque tensiones (ut in Nobilissimo Ægro animadversum est) occurrerint. Nam biliosi, viscidique humores, ut Tu prudenter adnotasti, *præpeditâ* per Jecur *secretione*, non modò magnâ copiâ in eodem viscere congeruntur, verùm etiam per cavam unà cum refluo sanguine ad cor, & pulmones ascendunt, atque utrobique, stagnando, irritandoque, gravia tandem symptomata inferunt, in corde quidem pulsuum anomalias, in pulmonibus verò malignam penè phlogosim. Duplici itaque ratione materiam hanc morbificam in Amplissimo Cardinali per inferna utiliter educendam fuisse arbitror,

tror,

tror, primò, quia turgentes biliosi humoris particulæ quanquam in universum corpus redundarent, præ cæteris tamen in venæ portæ ramis (abdomen siquidem tensum erat) effervescentes, ejusmodi figurâ, moleq; præditæ erant, ut non facilè aliis glandularum osculis, ac meatibus aptari, & congruere potuerint, quàm hepaticis. Subinde quia major pars citra dubium vergebat ad Jecur, & intestina, tanquam ad loca conferentia. Quarè lenitis sæpiùs, laxatisque hypochondriorum fibris, ac tubulis per exhibitionem simplicis *olei amygd. dulc.* denique opportunissimè accessit validior vis *olei lini*, quo quidem crassior pars phlegmatis, & bilis, quibus cholidochi ductus impediebantur, soluta fuit, atque hinc universa pravorum humorum congeries ad intestinorum tubum facillime confluxit, atque expeditiorem exitum invenit;
non

non absimili profectò ratione, ac videmus usuvenire, ubi aquarum fluxus impeditur propter infarctum, obstructionemque solius emissarii, quo in casu aquam internè per tubulos vehementer impellere periculi plena res est; atquî unicum præsidium in eo versatur, ut peritus Aquilex minimo negotio ipsum emissarium externè recludat.

Quanquam verò pulsus inæquales, atque intermittentes in pleuritide ac peripneumonia affectis magnum consueverint curantibus Medicis, nec quidem sinè ratione terrorem incutere: plerunque enim significant, tum fluida in præcordiis cogi, tum vasa magnoperè ad invicem comprimi, ac proinde liberum à corde sanguinis cursum (undè pulsus ordinati nascuntur) præpediri: nihilominus, cum in Rebus Medicis vel minimæ conditiones, ac circumstantiæ apud Ægros diligenter sint per-

perpendendæ ſecundùm Hippocratis monitum *nihil negligere, nihil temere*; accidit nonnunquam, ut hujuſmodi pulſus vix quidpiam mali ominentur; imo potiùs bonam ſpem afferant. Siquidem, cum cordis,pulſuumque rythmus non à ſola ſanguinei fluidi craſi, ac libertate, ſed à naturali quoque liquidi nervorum excurſu, nervorumq; cardiacorum undulatione dependeat; quoties aliquid hoſtile in præcordiorum nervos, muſculareſque fibras incurrat, quod eorum actionem alteret, atque perturbet; neceſſariò ejuſdem cordis, pulſuumque motus & ipſi alterantur, & perturbantur. Quoniam verò poſt aliquot horis à veſicantium admotione fieri non poteſt, quin cantharidum corpuſcula venis tum ſanguineis, tum lymphaticis abſorpta,ad ipſa præcordia perveniant, ibidemque, ſi aliquid vitii offendant, ut in Viro

E Prin-

Principe offenderunt, moram aliquam patiantur, tunc facilè, irritando, leves ſpaſmos inferant, illatosque jam adaugeant, ac propterea quæ indè phænomena ſuperveniunt, minùs, quàm ubi eadem veſicantia non ſint admota, timenda eſſe longo experimento didicimus: non tantùm enim ex humoribus ſpontè coactis, atque adeò ſanguinis circuitum intercipientibus, quantùm ob levem vaſorum, fibrarumque cordis ſpáſmum à fugacibus cantharidum particulis inductum proficiſcuntur, qui ſanè ſpaſmus iiſdem deindè cantharidum particulis exactè cum ſanguine permixtis, delinitis, ac liberè præterfluentibus, miteſcit, & quâ parte auctus eſt, ſedatur; non ſecus ac urinæ ardorem, ab eadem cauſa excitatum, eâdem pariter ratione brevi mitigari, atque reſtingui obſervamus.

Nolim tamen exiſtimes, Vir Sapien-

pientisſime, hunc meum de cantharidibus ſermonem eò tendere, ut veſicantia in Nobiliſſimo Ægro aut noxia fuiſſe, aut fortè inutilia putaverim: immò verò utiliſſima, atque ad ejus morbum depellendum ſummoperè neceſſaria firmiſſimè aſſevero. Neque hoc propterea dico, quod tuis auribus dare aliquid velim; ſed ſolâ motus, & impulſus veritate, quam in dictis, ſcriptisque meis unicè colo, ſequorque, id ſanctè affirmo. Et quidem, ut validiſſimas, quas Tu probè tenes, hujus adhibendi præſidii in malignis peripneumoniis, rationes prætermittam; conſilium hoc tuum decem ante annis in Epidemia Rheumatica, quæ tùm Romæ vagabatur, vel edito per id temporis Opuſculo[a] fusè, apertèque comprobavi, non meo tantùm, ſed magnorum Virorum experimento, præſertim verò Hippo-

E 2 cra-

[a] In Hiſtoria Rheum. Epidem. adnex. ad Diſſert. de Romano Cœlo pag. 219. num. 22.

cratis [b] auctoritate ductus, qui docuit: *eos peripneumonicos morbo defungi, quibus abscessus infernis partibus nascuntur, & fistulantur.* Cùm itaque noxia recrementa tùm in visceribus, & sanguiferis, tùm in universo succutaneo corpore partim stagnant, partim urgent, turgentque, (quod in casu Eminentissimi Cardinalis contigisse, & pulsuum anomaliæ, & sudores inordinati, & cætera à Te diligenter descripta symptomata evidenter demonstrant) Medicus, naturam imitando, ejusmodi abscessus, ut ægrorum interitum antevertat, debet aperire. Sed quid opus est longâ argumentorum serie, ubi, adjuvantibus inter alia auxilia vesicatoriis, COLUMNENSEM Principem tuâ ope, peritiâque servatum, ac sospitem cernimus.

Si quando autem à propinato oleo, præ-

b In Coacis.

præſertim lini, iidem pulſus magis, magiſque inæquales redduntur, tunc ſanè prudens ille timor, qui in fortes, etiam, ſapienteſque Viros cadit, moderandus eſt, atque alacriter, ut Tu feciſti, ſymptomatibus occurrendum, benèque, ſi cætera concurrant, de ipſo Ægro ſperandum eſt. Etenim ſignificatur, criticam evacuationem, obſtetricante Arte, per alvum imminere: nam ſicuti, ubi eadem criſis à natura tentatur, *nox, quæ præcedit, moleſta ſemper eſt*; pravi quippe humores turbas antè exitum huc, atque illuc moliuntur; ita, quæ critica evacuatio per blanda licèt medicamina promovetur, tamen non ſine aliqua perturbatione poteſt accidere: maximè verò cum multitudo bilioſorum, acriumque humorum ab Hepate, ac Pancreate in duodenum erumpit; tunc enim villi nervei, qui cum ſtomacho, & præcordiis conſentiunt,

ve-

vehementer irritantur; quamobrem in Purpurato hoc Principe, & respiratio, quæ naturalis erat, evasit difficilis, & cordis motus, non ob fluidorum stagnationem, sed ob inæqualem musculorum ejus contractionem turbatus fuit. Ac propterea, dum ejusmodi dejectio, vincente natura, peragitur, quanquam venter à bile acri extimulatus aliquantulum tendatur, pulsusque inæquales reddantur, terrifica tamen ejusmodi symptomata ut plurimùm sensim evanescunt.

Porrò quæ hactenus exposita sunt mihi revocant ad memoriam, quod multis mirantibus in Illustrissimo Archiepiscopo Bonaventura Sanctissimi Domini Nostri à secretis eleemosynis, decem circiter ab hinc annis accidit. Is *dexterâ pleuritide graviter laborabat*, cumque illam, interdictâ omni phlebotomiâ per *alvi fluxum desituram*

ram prædixiſſem; quia nimirùm lotium, & ſputa admodum crocea apparuerant, levisque tenſio aderat in hepate; contigit fortè fortuna, ut, propinato jam ſexta die oleo amygdalino, ad multam ſubſequentem noctem ſubitâ, magnâque præcordiorum anxietudine, omnique pulſuum inæqualitate, unà cum ingenti totius abdominis tenſione, ac dolore corriperetur: Aleam omnem jactam eſſe familiares ejus, atq; unus potiſſimùm ex curantibus Medicis putabant. Ipſe verò, cum per ſummam Sanctiſſimi Patris in Antiſtitem hunc Benevolentiam, Clementiamque illum inviſere juſſus fuiſſem, ſtatim aſſerere non dubitavi, rem eſſe in vado, cum criſis per alvum inſtaret: & quidem, ſimplici injecto ex jure, oleoque clyſtere, ingens acerrimæ, malèq; olentis bilis ſuborta eſt deturbatio; ita ut, fugatis illicò pravis ſpecie ſymptomatibus,

tibus, Æger sanus evaserit. Tantùm profectò diligens Anatomes peritia, cum diuturna curandi, sedulâque observandi experientiâ, valet, mi Jannelli, ut nonnisi utriusque conjunctione è vulgarium Medicorum turba pauci secernantur, atque excellant.

Cæterum quod sextâ die in Eminentissimo Viro, post epotum lini oleum, sequutamque per alvum, sed non integram pravorum humorum evacuationem, genarum rubor cum spiritus difficultate, quæ symptomata usque eo visa non fuerant, supervenerit, locum facit enodationi duarum Hippocratis sententiarum, quæ inter se penè contradictoriæ videntur, nimirum [c] *Pleuritidi superveniens peripneumonia malum*; & [d] *Peripneumonia pleuritidi succedanea tutior est primigenia* (quam quidem postremam sen-

ten-

c Primo de morbis num. 27.
d In Coac. apud Duret. de Persipneum. num. 28.

tentiam Duretus frustra corrigere studet). Nam tunc certè peripneumonia pleuritidi superveniens mala est, cum per epigenesim oritur; videlicet cum tanta est materiæ morbificæ copia, ut non solùm in pleura, ac musculis intercostalibus stagnationem inducat, sed in pulmones etiam affatim redundet, atque in iis pertinaciter subsistat: quo sanè fit, ut in Cadaveribus eorum, qui hoc morbo defunguntur, tum pleura, tum pulmones inflammatione, ac plerunque gangrænâ labefactati, corruptique inveniantur. Contrà verò, cum peripneumonia gignitur non ex ejusdem causæ redundantia, sed veluti ob criticam metastasim à solutis per coctionem humoribus, qui pleuram obsederant, & per azygæ ramos in cavam, cor, & pulmones transferuntur; tutior certè existimanda est, quia nimirum (ut de crisi per alvum supra dictum est)

coctus humor à pleura per pulmones ad anacatharſim tendit; atq; idcircò, quanquam interdum ſpirandi difficultatem adaugeat, tuſſim intendat, genarumque ruborem inducat; hujuſmodi tamen ſymptomata non ingraveſcentem, & *primigenium*, ſed ſuccedaneum, ſpurium, fugacemq; morbum, eumque ad finem per criſim properantem ſignificant. Siquidem, ubi noxiæ particulæ ſunt ſolitò acriores, non poſſunt per pulmones excerni, quin minimam illorum texturam, vellicando, fodicandoque, prædicta phænomena procreent. Quod ſanè ſubolfeciſſe viſi ſunt Hollerius, & Jacotius in Commentariis ad memoratum Coacarum textum: ille enim Senis effato locum eſſe putat, *cum translata è latere materia in pulmones, ut repurgetur, excipitur*: Hic verò, cum ipſa *peripneumonia ceſſanti pleuritidi*, per ſalutarem quaſi metaſtaſim,
ſuc-

ſuccedit, ac propterea morbus imminuitur; cum è contrario, ſi peripneumonia ſtatim ab initio pleuritidi ſuperveniat, *eundem morbum*, per materiæ in plures locos diffuſionem, *non deſinere*, ſed geminari affirmet: *morbus enim*, ut idem ait Hippocrates[e], *morbo ſuccedens plerunque occidit*.

Sed, vix ſecum in concordiam adducto divino Sene, nova ex eodem emergit quæſtio, quæ, ut ad rem noſtram maximè pertinens, mihi quidem non eſſe penitùs negligenda videtur, utra ſcilicet pleuritidum periculoſior ſit, quæ ſiniſtrum, an verò quæ dextrum latus occupat; cui ſanè quæſtioni occaſionem, quemadmodum probè noſti, dedere illa ejuſdem [f] Coi verba, ubi de pleuritide in ſuppurationem abeunte loquitur in hanc ſententiam: *Tu verò humerum concutito, ut audias in*

 utrum

e Lib. de Affect. num. 23.
f 2. de Morbis num. 45.

utrum latus affectio strepitum edat: optandum autem esset, ut in sinistrum.

Verùm, ne longiùs, quàm epistolæ modus ferat, in præsentia abeam, rejectis ad scholarum otia, quæ hinc inde (præter Avicennam [g], Conciliatorem [h], & Peredam [i]) hac de re fusè disceptarunt Franciscus Vallesius [k], & Zacutus Lusitanus; ad me, quod attinet (utpotè qui non dicentium auctoritatem, sed rationum momenta, & vim experimentorum; unde simplex, ac sincera veritas eruitur, in meis studiis unicè consector) id exploratissimum videtur, pleuritidem quidem, cum in Empyema facessit, lævo in latere expeditiùs per sectionem curari, ac proinde minus esse periculosam: contrà verò, si per anacatharsim, vel per alvi fluxum resolvenda sit; tunc dextram sinistrâ solutu esse facilio-

g 10. 3. Tract. 4. cap. 4. h Differ. 99.
i In Schol. cap. 27. lib. 1. de morb. curand.
k In Com. ad lib. 7. Epid. Text. 13.
l De Med. Princip. Hist. Lib. 2. quæst. 19.

liorem. Nam institutâ sinistro in latere sectione, certum est, quàm quod certissimum, ad collecti puris expulsionem promovendam, atque adjuvandam, vehementiores cordis, & arteriæ magnæ ictus, ac pulsiones, quæ in dextero desiderantur, non parum conferre: & propterea magnus Hippocrates jure, ac merito in suppurata pleuritide *sinistrum latus optaßet*. Aliter verò res se habet in pleuritide per anacatharsim, vel per alvi dejectionem sine abscessu, ac suppuratione resolvenda. Cum enim in dextera pectoris capacitate (quod Te minimè fugit) rami venæ azygæ breviores sint, atque in cavam citiùs, expeditiùsque exonerentur, quàm qui opposito in latere divaricantur; cumq; præntereà ut plurimum dextra pleuritis hepatitidi jungatur, hinc nemo non videt, eam, quæ dextrum latus afficit, atque in abscessum minimè abit, faciliùs

liùs per anacatharsim, vel per alvi excretionem desinere, proindèque dexteram sinistrâ minus esse periculosam.

At inquies, quorsum hæc? Scilicet ut magni Viri, ac Medicinæ Parentis summam in laconismo perspicaciam, judiciumque spectemus; tum, ut unà simul Amplissimo Cardinali gratulemur, qui eductis partim per infernum, partim per supernum ventrem, pravis humoribus, Te potissimùm curationis præside, è tam sævâ dextri lateris pleuritide feliciter, veluti è mortis faucibus, evaserit. Quod forsitan (Divino id Numine clementer avertente) adeò prosperè haud contigisset, si pleuritis, quæ dextrum latus vexavit, in suppurationem desivisset, aut si pro dextero insædisset lævo, atque eâdem, ac contigit, ratione, per sputum, ac diarrhæam fuisset resolvenda.

Ex dictis verò satis manifestum vide-

detur, quàm ſit opportuniùs, ſecuriùsque in dextera pleuritide ſtatim à ſecta vena, vel, cum evidentiora cacochymiæ ſigna occurrunt, etiam non ſectâ, leve aliquod pectorale, quod appellant, alvum ſolvens, exhibere, cujuſmodi apud Celeb. Ludovicum Septalam [m] longo experimento utiliſſimum compertum legimus mel roſſol. cum butyro, vel uncias v. ol. amygd. dulc. recentis cum uncia mannæ; nos verò opportunè propinamus oleum lini cum oleo amygdalino. Hæc quidem methodus illum animi defectum antevertit, quem ſæpè injectus *clyſter*, ubi magna ſaburra ſtomacho, atque hypochondriis hæret, ſolet inferre, *quique proculdubio in Eminentiſſimo Principe non potuit, inductâ per univerſum corpus fluidis morâ, non nocuiſſe*; quonìam lipothymiâ corripi vix unquam, præterquam ad ingen-

[m] Animad. lib. 6. num. 126.

gentem temperandam hæmorrhagiam, laudabile eſt.

Quæ hactenus per me forſitan nimis fusè ad Te, ut doctum, ac peritum, ita impavidum, intrepidumq; Virum ſcripta ſunt „ ſatis, arbitror, oſtendunt, „ nihil minus eſſe philoſophi, egregiiq; „ Medici, quàm in difficillimis, com„ plicatisque morbis animum deſpon„ dere, aut quæ raró contingunt, admi„ rari, neque ad intimam phænomeno„ rum inveſtigationem progredi. Vale interim, &, ut valeas, quæſo inter æſtivos hoſce ardores ſtudia remitte; ita enim ineunte Autumno eadem alacriùs in Ægrorum commodum poteris intendere. *Ex Muſeolo in Ædibus Quirinalibus* XVI. *Kalendas Auguſti* MDCCXIX.

